



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus III. Lætitia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

## TITULUS III. LÆTITIA.

### §. I. Symbola.

**E** ductum de carcere Joseph resonderunt. Gen. 41. 14. Veteres rei in carcere comam, & barbam, crescere sinebant; quasi lugentes, & squalentes: absoluti verò comam, & barbam, deponebant; vestesque mutabant; in signum lætitiæ. Corn. hic.

*Qui maledixit patri - extinguetur lucerna ejus in medijs tenebris.* Prov. 20. 20. Lucerna est Symbolum lætitiæ, & prosperitatis. Hinc de impio Prov. 13. 9. *lucerna impiorum extinguetur.* Corn. hic.

*Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Eccl. 9. 8. Græc. *splendida.* q. d. esto omni tempore lætus, ut vertit Vatablus: lætitia enim notatur candidis vestibus. Hinc veste albâ utebantur Romani, & Judæi, in festis, & convivijs. Corn. hic.

*Eris lux luna sicut lux solis.* II. 30. 26. id est, omnia lætissima erunt, Barradius D. 1. Adv.

*Circumamicti albis vestimentis.* Apoc. 4. 2. Candida stolæ Symbolum sunt solidæ lætitiæ, quâ beati potientur. S. Andreas Cæsariensis. f. 4. hic.

### §. II.

#### Lætitia in genere.

**N**on solus dolor lacrymas habet; habet & lætitia lacrymas. S. Ambr. 1. de excessu fratris Satyri c. 1.

Memoria quasi venter est animæ; lætitia verò: & tristitia; quasi cibus dulcis, & amarus. S. August. Conf. 1. 10. c. 14.

Calor dilatat, & exhilarat; frigus verò contristat. S. Thom. Aqu. in c. 1. Gen.

Quia impossibile est, semper agere in vita activa, & contemplativa; ideo oportet interdum gaudia curis anreponere; nè animus nimia severitate frangatur; & ut homo promptius vacet ad opera virtutum. Id. in c. 3. II.

### §. III.

#### Lætitia vera, Spiritualis, Sanctorum.

**G**audete, quòd nomina vestra scripta sunt in caelis. Luc. 10. 20. Vera, & sola, lætitia est, supernè inscriptum esse. Inscribebitur autem unusquisque eò verius, & firmius isthic; quò, Christi gratiâ, & præsidio adjutus, plura hic, illustrioraque opera ediderit. Titus Boftr. hic.

*Lucernæ ardentes.* Luc. 12. 35. Lucernæ hóc locò mentis vigilantiam, spiritualemque animi jucunditatem, & lætitiâ, denotant. Id. hic.

*Vocatus est J E S U S ad nuptias.* Jo.

2. 2. Quid est, quòd Evangelij lectio festivitati nuptiali interfuisse Dominum perhibet invitatum? nisi quòd vinum ibi, id est, virtus lætitiæ spiritualis, defecerat; & languebant sitientium convivarum ora, vini lætificantis inopiâ: quoniam vinum lætificat cor hominis. S. Gaudentius tr. 8. de lect. Evang.

S. Athanasius in vita S. Antonij ait: Davidem à Samuele agnitum esse ex lætitia vultus: sicut ex eadem agnocebatur ab omnibus Antonius inter mille Monachos, dum ait: si quis ignarus ejus inter multitudinem Monachorum eum videre voluisset, nullò indicante, cæteris prætermisissis, ad Antonium currebat; & animæ puritatem agnoscebat ex vultu; & per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur: nam semper hilarem faciem gerens liquidò ostendebat, se de cœlestibus cogitare. Apud Cornelium in 1. Reg. 15.

### §. IV.

#### Lætitia vana, & inepta.

#### Ex Veteri, & Novo.

**L**ux vultus mei non cadebat in terram. Job. 29. 24. Quia nimirum in tanta gravitate vultum tenere consueverat, ut nunquam contemptibili lætitiâ resolveretur; sed, quocumque hilariorem se presentibus exhiberet, certam semper ob causam utilitatis eorum faceret. V. Beda l. 3. qq. in libros Reg.

*Curvatus sum usq; in finem.* Pl. 37. 7. Hoc dicens, velut affectum ipsum, & animum, penitentis exponit dicentis: ex quo peccavi, nunquam risi, nunquam lætaturus sum, nunquam mihi ipsi aliquid jucunditatis indulsit; sed semper in mœrore fui, semper in pœnitentia, semper in luctu. Origenes hic.

*In salicibus suspendimus organa nostra.* Pl. 136. 2. Suspendere citharas in salicibus fluminum Babylonæ, nihil est aliud, nisi relinquere instrumenta lætitiæ hominibus hujus sæculi; qui tanquam arbores infructuosæ irrigantur assidue aquis Babylonæ. Bellarminus hic.

*Transivi ad contemplandam sapientiam, erroressq; & stultitiam &c.* Ecclæ. 2. 12. Voluptatem vocat errorem, atque circuitum; quòd ad omnem ventum circumferantur bona ipsa terrena, quæ materiam suggerunt lætitiæ, & voluptati. Insanire enim videntur, ac esse sui oblitii, qui in loco miseræ, & lacrymarum, lætandum sibi esse falsò existimant. Olympiodorus hic.

*Preparavit Dominus Deus bederam.* Joan. 4. 6. Cur Dominus Propheta suo, qui Niniven converterat, adeò infestum se exhibet? quia dedecet Prophetam tantâ exultare lætitiâ in virgulto. Arphaxad, quòd exultaverit in Ec-

Mmm mm 3 bata-

baranis à se ædificata urbe, victus, & captus est. Judith. 1. 1. Oliva l. 9. Strom. hic.

### Ex Patribus, & aliis.

Læticia Sæculi vanitas est: cum magna expectatione speratur ut veniat; & non potest teneri, cum venerit. S. Aug. tr. 7. in Joan.

Ut homines ægri, cum multis febribus aguntur, si in aquas semetipsos frigidas immerferint, ad præfens aliquid quidem videntur quasi se solatij, multiplicatas verò sibi febrium flammæ reparant: sic & nos agimus, cum conscientia stimulis agitatur; si merè externas gaudij, & lætitiæ, causas quaeramus. S. Chrysof. hom. de puncta.

Revera omnis læticia periculosa est, omnis securitas casibus plena, omnis jucunditas laqueis impeditur. Id. hom. de Jephthæ.

Nulla verior miseria, quàm falsa læticia. Sanctus Bernardus tr. de gratia, & lib. arbitri.

Eja lætare juvenis in adolescentia tua! ut, decedente pariter cum ætate temporali lætitiâ,

succedat, quæ te absorbeat, æterna tristitia. Id. ep. 1.

Læticia si afficit, non proficit, ubi gratia deficit, S. Bonav. in Pf. 118.

Omne lumen naturaliter in balneo suffocatur: sic lumen Dei, gratia, charitas, inter Mundanas prosperitates: sic lumina in oratione collecta inter vapores superfluarum relaxationum, Berengarius in Similit.

### §. V.

#### Læticia sit modesta.

Valde necessarium est, ut, postquam compunctionis gratia mentem à sordè exerit, sollicitè caveatur, nè postmodum hæc bonitas per immoderatam lætitiæ dissolvatur; ac ne unquam eam præstiti mœroris custodia derelinquat. S. Bonav. in Thr. 2.

Rideamus, quæso, quantumlibet immensuratum, lætemur quantumlibet jugiter; dummodo innocenter. Salvianus de Prov. Dei l. 6.

Vide Tit. Gaudium.

## TITULUS IV.

# LATRO POENITENS.

### §. I.

#### Fides illius.

Petro dicitur à Christo Joan. 13. 36. *non potes me modò sequi &c.* & huic dicitur: *hodie mecum eris in paradiso.* Sed hanc tantam gloriam latroni fides præstitit: fides enim est, quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes. S. Ambr. de latrone l. 45.

Ipse attendens merita sua non dixit, *memento mei*, & libera me hodie; *sed cum veneris in regnum tuum.* Et ille: non sic: *invasisti regnum cælorum, vim fecisti, rapuisti: Hodie mecum eris in paradiso*: non te differo; tantæ fidei hodie reddo, quod debeo. S. Aug. l. 144. de temp.

Ipse solus cum tacente Virgine confitetur; & in mœroribus tam horrendis locius fuit Virginis in fide, atque dolore, CHRISTI confessor, atque suæ innocentia tutor. Simon Cass. l. 13.

### §. II.

#### Varia alia virtutes, dignitas, & eminentia.

*Neque tu times Deum?* Luc. 23. 40. hoc dicebat futuri Examinis diem cogitans. Eusebius Emisf. hom. de Latr.

Erat ipsi finis vitæ principium rectè facti; traditio animæ, & acceptio salutis. *Memento mei Domine!* Non dico, ut operum meorum memineris; hoc enim metuo. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

O alta sapientia! crucem videt, & regnum

confitetur. Mortuos Christus suscitavit, Judæique videntes in crucem egerunt: latro in crucem actum vidit, & adoravit. Neque illis profuere miracula, neque huic nocuit scandalum; sed eò sublimior factus. S. Chrysof. Orat. in S. Lumina.

Corporalium pœnarum oblitus, divinò seves factus amore, coram Judice inter medium dependente, Sodalem arguere, ac eiam instruere, non veretur dicens: *neq, tu times?* Simon Cass. l. 13.

Sanè hic latro mansueti animi, & sicut testem Christi decebat, in auditorio publico fidei protulerat argumenta. & non philosophandi genere; supplicij tanti immemor, cum blasphemio illo de timore Dei, & justitia, disputabat: *Neq, tu times &c.* Arnoldus Carnot. tr. de 7. Chr. Verb.

Multa simul pietatis officia complectitur: credit, & timet; compungitur, & poenitet; confitetur, & prædicat; amat, confidit, & orat. Id. ib.

Nè irascaris Princeps Apostolorum. Tibi claves regni cælorum commisit: te amarè stentem Christus respexerat; te tamen juxta Crucem non video. Territus lates; nec ibi Apostolica autoritate uteris, ubi ad invicem fixis juxta crucibus, privata miscent colloquia Salvator, & peccator. Absens eras; & ministerij tui claves modo non profers. Supplet vicem tuam summus Sacerdos, apertisque feris antiquis latro primitiæ derelictorum introducit, aperiente Christo, in regnum cælorum. Ibi latro locatur, unde Lucifer cecidit. Id. ib.

Cogita